Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 291
Quelle:
Copyright:

haberetis, usque ad C. ult. *Sic eum volo manere* &c. Autor, qui haec in Schola *Vien.* praelegit, si Titulo dorso Codicis adfixo fides, est *Petrus de Pirkenwart*, qui laborem antecedenti Codice coeptum hic prosequitur. Codicem utrinque ambiunt Membranae 2. Sec. XIV. exhibentes Expositionem in *Job* a C. XXXVIII. v. 35. ad finem, cujus Autor e notioribus non est, ut jam Cod. antecedenti dixi.

CXCII.

U. 43 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 376. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus aliud est praecedentis Exemplar ἀπογεαφον; habet enim ad calcem: *Et sic est finis lectare huius ewangelij Anno domini* 1471. Adsunt eodem modo Quaestiones discussae a *fol.* 255. ad finem.

CXCIII.

U. 18 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 138. f. per duas columnas scriptus, rubricis enotatus et, ut praefert Nota, legatus *ad collegium beate marie virginis domus rubee rose apud fratres predicatores in Wienna* a *Thoma de Haslpach sacre pagine prof. in perchtoltzdorff plebano et ad S. Steph. Canonico* complectitur *Nicolai de Lira* O. M. *Postillas* primo *in Actus Apostolorum*, quarum initium: *Repleti sunt omnes spiritu sancto* &c. dein *in VII. Canonicas Epistolas*, quarum initium: *Quatuor sunt minima terre* &c. demum *in Apocalypsin*, quarum initium: *Datus est mihi calamus similis virge* &c. At postremae hae ad *Liranum* non pertinent, ut e comparatione tam cum vetustis hujus Editionibus, quam cum Bibliis glossatis liquet. Non enim *Prologus* tantum, cujus initium dedi, sed ipsa etiam Expositio, quae infit: *Ego Johannes &c. Totus iste liber diuisus est in tres partes in probemium executionem epylogum* &c. abit a *Lirano*. Ad quem porro referenda sit, in tanto eorum, qui *Apocalypsin* tentarunt, numero difficile est dispicere. A me saltem more meo haud indiligenter quaesitus est. *Haymone Halberstad.* et *Richardo a S. Victore* multum utitur, jamque de Scholasticis est. Codicem in *Germania* ab homine festivo scriptum probat calx Act. Apost. *Amen Daz geschech*, et calx Canonicar. *Explicit per manus et non per pedes.*

CXCIV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 153 Folior. 287. f. manu difficili perscriptus continet: I. *Lecturam in Actus Apostolorum* cum Prologo: *Lucas anthiocensis nacione syrus* &c. ut consuetum. Textus medium occupat, Expositio margines implet, et inter lineas incurrit. Incipit autem: *Hic incipit liber actuum apostolorum, in quo beatus lucas primo se continuat ad precedentia, secundo prosequitur subsequentia* &c. Ad calcem in ora folii infima legitur: *6a feria ante Katherinam 1446° hora fere 10.*